OFFICIA PROPRIA SS. PATRONORUM REGNI POLONIÆ ET SUECIÆ EX INDULTO SUMMORUM PONTIFICUM RECITANDA,

In quatuor anni partes divisa.

PARS HIEMALIS



Ex Ducali Campid. Typograp h. per
Aloysium Galler.

OFFICIA PROPRIA SS. PATRONORUM REGNI POLONIÆ ET SUECIÆ EX INDULTO SUMMORUM PONTIFICUM RECITANDA.

PARS HIEMALIS.

DIE XXX. NOVEMBRIS.

In festo S. Andreæ Apostoli, Patroni Diœcesis Varmien. Dupl. I. Classis cum Octava.

In primo Nocturno Lectiones de Epistola B. Pauli ad Romanos, ut in Breviario cum suis Responsoriis.

In secundo Nocturno.

Lectio iv. ut in Breviario, usque ad verba. Post Patras Achaiæ profectus exclusive.

Ex actis Ecclesiarum Achaiæ.

Lectio v.

PAssionem sancti Andreæ Apostoli, quam oculis nostris vidimus, omnes Presbyteri & Diaconi Ecclesiarum Achaiæ scribimus. Universis Ecclesiis, quæ sunt in Oriente, & Occidente, & Meridiano, & Septemtrione in Christi nomine constitutis: Pax vobis, & universis, qui credunt in unum Deum, in Trinitate perfectum. Cum Pro-Consul Ægeas Patras civitatem ingressus esset, cœpit compellere credentes Christo ad sacrificia idolorum. Huic occurrens sanctus Andreas, oportebat, ait, ut & tu, qui judex esse hominum comprobaris, judicem tuum, qui est in cœlo cognosceres, & agnitum coleres, & colendo eum, qui verus Deus est, ab his, qui veri dii non sunt, animum revocares.

℟. O bona crux.

Lectio vi.

QUo audito Ægeas dixit: Tu es Andreas, qui destruis templa deorum, & suades hominibus superstitiosam illam sectam, quam nuper detectam, Romani Principes exterminari jusserunt? Andreas respondit: Romani Principces nondum cognoverunt hoc, qnod pro salute hominum veniens Filius Dei, docuerit idola uon solum deos non esse, sed esse dæmonia inimica humano generi. Ægeas iratus, ista superstitiosa, & vana verba Jesus vester dum prædicaret, Judæi illum crucis patibulo affixerunt. Andreas contra: O si velles scire mysterium crucis,

quam rationabili charitate, author humani generis, pro restauratione nostra hoc crucis patibulum non invitus, sed sponte suscepit, secus sentires.

℟. Expandi manus.

In tertio Nocturno Lectiones ut in Breviario.

OFFICIUM SECUNDUM.

In primo Nocturno, Lectiones de scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

ÆGeas furens jussit Andream in carcerem retrudi, unde populus eum facile liberasset, nisi ipse obstitisset, vehementius rogans: ne se ad optatissimam martyrii coronam properantem impedirent. Mane facto, Ægeas Apostolum ad se adduci præcepit, perseverantemque in sententia flagellis cædi, & cruci affigi mandavit, ita ut ligatis pedibus ac manibus quasi in equuleo tenderetur: ne clavis affixus cito deficeret, sed potius longo cruciatu conficeretur.

℟. Homo Dei.

Lectio v.

CUm pervenisset ad locum Andreas, ubi crux parata erat, videns eam à longe, exclamavit voce magna, dicens: Salve crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membrorum ejus margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti: modo vero amorem cœlestem obtinens, quanta in te gaudia habes, quanta munera præparata! Securus ergo, & gaudens venio ad te, ita ut & tu exaltans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te, quia amator semper tuus fui, & desideravi amplecti te.

℟. O bona crux.

Lectio vi.

O Bona crux, quæ decorem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicite amata, sine intermissione quæsita, & aliquando jam concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me. Et hæc dicens expoliavit se, & vestimenta sua tradidit carnificibus. Qui accedentes levaverunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus ejus (sicut eis jussum fuerat) suspenderunt.

℟. Expandi manus.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 4.

IN illo tempore: Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Ex Hom. 14. in cap. 4. Matthæi.

PErpende & fidem, & obedientiam vocatorum, & cognosces, quam dulcis sit piscatio: siquidem in medio ipsius operis constituti cum illum audissent jubentem, nihil distulerunt, nihil omnino cunctati sunt. Non dixerunt: Revertemur domum, loquemur propin-

quis

quis, sed cuncta illico relinquentes, fecerunt, quod Helisæus quoque sub Helia legitur implevisse. Talem quippe à nobis obedientiam Christus efflagitat, ut neque punctum temporis differamus, etiamsi nos aliquid necessarium urgere videatur.

℟. Oravit S. Andreas.

Lectio viii.

PRopter quod & alium quemdam accedentem se, & rogantem, ut ad sepeliendum patrem rediret, ne id quidem facere permisit, ostendens, quia Christus sit etiam cunctis necessitatibus præferendus. Sed dices forsan, maxima fuisse promissa. Et hoc est, propter quod illos maxime admiror. Quia enim nondum signum aliquod factum fuisse viderunt, tamen promissionis magnitudinem crediderunt, ut etiam Christum sequi rebus omnibus anteferrent, & illis quippe ipsius, quibus capti sunt, verbis facile crediderunt, alios quoque per eadem à se capiendos.

℟. Videns crucem.

Lectio ix.

PEtro igitur & Andreæ hoc promisit, Jacobo vero & Joanni nihil tale pollicitus est Siquidem obedientia præcedentium, his quoque ad credendum iter paravit. Vide autem, quam etiam diligenter inopiam eorum Evangelista signaverit: Invenit, inquit, reficientes retia sua. Tanta erat egestatis magnitudo, ut vetera contexerent, quia emere nova nequibant. Nec sane parva hæc sunt documenta virtutis, facile omnem tolerare pauperiem de justis laboribus vivere, mutua sibi charitate connecti, secum habere inopem patrem, atque in ejus obsequio laborare.

Te Deum laudamus.

OFFICIUM TERTIUM.

In primo Nocturno, Lectiones de scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

SAncto itaque Andrea per biduum in cruce pendente, Christumque libere prædicante, omnis populus cum clamore ad domum Ægeæ vadit clamitans, virum sanctum, pudicum, ornatum moribus, doctorem bonum, pium, modestum, rationabilem, hoc minime debere pati, sed debere deponi de cruce, quia jam secunda die in cruce positus veritatem prædicare non cessaret.

℟. Homo Dei.

Lectio v.

TUnc Ægeas pavescens populum, ad crucem accessit, volens ex ea Apostolum deponere. Cui Andreas: Quid tu, inquit, Ægea ad nos venisti? Si vis credere Christo, sicut promisi, aperietur tibi via indulgentiæ: si autem idcirco huc accessisti, ut me solvas, ego penitus ab hac cruce vivus deponi non potero: jam adoro, jam conspectui ejus assisto. Mittentes attamen ad crucem carnifices manus, non potuerunt attingere; stupebant enim brachia eorum, quicumque ea extendissent ad solvendum Apostolum.

℟. O bona crux.

Lectio vi.

Convertens igitur se ad Dominum Apostolus orabat: Suscipe me Christe, magister meus, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem adoro, quem cernere desidero, quo sum, quod sum. Suscipe Domine JesuChriste spiritum meum in pace, quia tempus adest, ut veniam ad te, desiderans videre te. Et cum hoc dixisset, videntibus cunctis splendor nimis circumdedit eum, ut eum oculi humani, præ claritate aspicere non valerent. Cumque dimidia hora splendor remansisset, jamque evanesceret, sanctus Andreas, una cum lumine pergens ad Dominum, beatum emisit spiritum.

℟. Expandi manus.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 4.

IN illo tempore: Ambulans Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres: Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem ejus, mittentes rete in mare. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.

Ex Serm. 2. de S. Andrea post initium.

AUdisti certe, cum pervenisset beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, quomodo confortatus sit in Domino, & per Spiritũ, quem una cum cæteris Apostolis in igneis linguis acceperat, verba certe ignea loqueretur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquam facies ejus expalluit, non stetere comæ, aut vox faucibus hæsit, non contremuit corpus, non recessit, ut assolet, intellectus, ex abundantia cordis os locutum est, & charitas, quæ fervebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce.

℟. Oravit sanctus Andreas.

Lectio viii.

QUid enim beatus Andreas, cum sibi paratam, ut dixi, crucem eminus cerneret, loquebatur? O crux, inquit, diu desiderata, securus & gaudens venio ad te, ita ut & tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desideravi amplecti te. Obsecro fratres, homo est, qui loquitur hæc, an non est homo, sed Angelus, aut nova aliqua creatura? Homo plane similis nobis passibilis. Nam passibilem passio ipsa testatur, qua appropinquante, lætabundus exultat.

℟. Videns crucem.

Lectio ix.

UNde ergo in homine nova exultatio? Unde in tanta fragilitate tanta constantia? Absit ut à se ipso tantam ei credamus virtutem. Donum perfectum est à Patre luminum, ab eo utique qui fecit mirabilia magna solus. Plane Spiritus erat, dilectissimi, qui adjuvabat infirmitatem, per quem diffundebatur in corde ipsius fortis charitas ut mors, imo & fortior morte. Cujus o si & nos participes inveniamur! Ecce enim molestus est no-

bis

bis pœnitentia onerosa, in vigiliis dormit anima nostra præ tædio, non ob aliud sane, quam propter inopiam Spiritus: ipse enim si adesset, adjuvaret infirmitatem nostram. Quæramus igitur hunc Spiritum fratres, imo, ut, quem habemus, abundantius habeamus. Quicumque enim Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.

℟ Te Deum laudamus.

FESTA DECEMBRIS.

DIE IV. DECEMBRIS.

In festo S. Barbaræ Virginis & M. Or. propr. & Lect. ii. Noct. à S. R. C. die 22. Sept. 1733. approbatæ.

Oratio.

Intercessio, quæsumus Domine, Beatæ Barbaræ Virginis, & Martyris tuæ, ab omni nos adversitate protegat, ut per ejus interventum, gloriosissimum Sacrosancti Corporis, & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi Sacramentum ante diem exitus nostri, per veram pœnitentiam, & puram confessionem percipere mereamur. Qui tecum vivit & regnat.

Lectio iv.

Barbara Virgo Nicomediensis Dioscori nobilis, sed superstitiosi hominis, filia, per ea, quæ visibilia, Divina opitulante gratia, facile pervenit. Quapropter soli Deo, rebusque Divinis vacare cœpit. Eam Pater, utpote forma venustiore nitentem, à quocumque virorum occursu tutari cupiens, turri inclusit, ubi pia Virgo meditationibus & precibus addicta, soli Deo, quem sibi in sponsum delegerat, placere studebat. Oblata à Patre pluries nobilium connubia fortiter sprevit; pater vero per sui absentiam filiæ animum posse facilius emolliri confidens, jussit primo balneum exstrui, ne quid ei deesset ad commoditatem: deinde peregre in exteras regiones profectus est.

Lectio v.

Absente Patre, jussit Barbara duabus fenestris, quæ in turri erant, tertiam addi, in honorem Divinæ Trinitatis, labiumque balnei sacrosanctæ crucis signo muniri; quod ubi rediens Dioscorus inspexit, audita novitatis causa, adeo in filiam excanduit, ut stricto ense eam appetens parum abfuerit, quin eam dire confoderet: sed præsto adfuit Deus; fugienti Barbaræ saxum ingens se patefaciens, viam aperuit, per quam montis fastigium petere, & in specu latere potuit; sed paulo post, cum à nequissimo genitore reperta fuisset, ejus latera pedibus, dorsumque pugnis immaniter percussit, & crinibus per loca aspera, difficilesque vias raptatam Marciano Præsidi puniendam tradidit.

Lectio vi.

Itaque ab ipso omnibus modis, sed incassum tentatam, nudam nervis cædi, & inflicta vulnera testulis confricari, deinde in carcerem trahi præcepit, ubi immensa luce circumdatus

ei Christus apparens mirifice confortatam in passionum tolerantia confirmavit; quod advertens Juliana matrona ad fidem conversa, ejusdem palmæ particeps effecta est. Barbaræ demum ferreis unguibus membra laniantur, facibus latera incenduntur, & malleolis caput contunditur; quibus in cruciatibus consortem consolabatur, & hortabatur, ut ad finem usque constanter certaret. Præcisis tandem utrique uberibus, nudæ per loca publica tractæ, capite plectuntur, Filiæque cervicem ipse scelestissimus Pater humanitatis expers propriis amputavit manibus; cujus fera crudelitas non diu inulta remansit, nam statim eo ipso in loco fulmine percussus interiit.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: simile erit regnum Cœlorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso, & sponsæ. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia 79. in Matthæum circa medium.

POst ingentes labores, post incredibiles sudores, & acerrimas pugnas, post trophæa, quæ de naturæ rabie statuerunt, resurgunt cum dedecore, & lampadibus earum extinctis, terram aspicientes recedunt. Nihil sane tenebrosius est, quam virginitas oleo carens; unde sic vulgo multi immisericordes tenebrosos solent appellare. Quid igitur ex virginitate lucratæ sunt, quæ nec sponsum quidem viderunt, nec saltem ad pulsandum usque pervenerunt, sed terribile illud verbum audivere: Abite nescio vos?

℟. Hæc est virgo sapiens.

Lectio viii.

QUod cum ipse dixerit; nihil aliud, quam gehenna & intolerabilis cruciatus relinquitur; imo vero etiam gehenna istud verbum gravius est; hoc verbum operantibus etiam iniquitatem dixit: Vigilate, quia nescitis diem, neque horam. Crebro id repetit, ut ignorantiam exitus ab hac vita utilem esse ostendat. Ubi sunt ergo, qui per totam vitam desidia torpescunt, & quando à nobis admonentur, respondere non dubitant: omnia se pauperibus moriendi tempore relicturos?

℟. Media nocte.

Lectio ix.

AUdiant hæc verba, & emendent se; multi enim abeundi tempus expectantes, ita repente rapti sunt, ut nec injungere suis quidquam potuerint. Sed hæc quidem parabola ejus eleemosynæ gratia, quæ cum pecunia conficitur, dicta est. Cur autem hæc parabola sponsum adducit? Ut videas, quantum virginibus Christus afficitur iis, quæ sua pauperibus erogant, hæc enim & vera virginitas est. Nam & Paulus huic rei hanc descriptionem attribuit dicens:

cens: Innupta solicita est de iis, quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore, & spiritu.

Te Deum laudamus.

DIE X. DECEMBRIS.

Officium in festo Translationis Almæ Domus B. Mariæ Virginis. Duplex majus.

Ad Vesperas, Antiphona.

Domum tuam, cum reliquis de Laudibus, infra Psalm. Dixit Dominus. cum reliquis ut in Officio parvo B. Mariæ V.

Capitulum Eccli. 24. b

IN omnibus requiem quæsivi, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit & dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

Hymnus Ave maris stella. prout in Offic. parvo B. Mariæ V.

℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata.

℟. Bene fundata est supra firmam petram.

Ad Magnificat, Antiphona.

Sanctificavit Dominus tabernaculum suum: quia hæc est domus Dei, in qua invocabitur nomen ejus, de quo scriptum est: & erit nomen meum ibi, dicit Dominus.

Oratio.

DEus, qui Beatæ Mariæ Virginis domum per incarnati verbi mysterium misericorditer consecrasti, eamque in sinu Ecclesiæ tuæ mirabiliter collocasti; concede, ut segregati à tabernaculis peccatorum, digni efficiamur habitatores domus sanctæ tuæ. Per eumdem Dominum.

Et non fit Commem. Oct. Concur.

Ad Matutinum. Invitator.

Salvatorem mundi in domo Virginis de Spiritu Sancto conceptum, * Venite: adoremus.

Psalmus. Venite exultemus.

Hymnus. Cœlestis Urbs Jerusalem, prout in festo dedicationis Ecclesiæ.

In primo Nocturno, Aña.

Elevata est magnificentia tua super cœlos.

Psal. Domine Dominus noster, cum reliq. prout in Offic. parvo B. M. V.

Aña. In sole posuit tabernaculum suum, & Ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.

Aña. Quis ascendet in montem Domini? aut quis stabit in loco sancto ejus? innocens manibus, & mundo corde.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Pater noster.

De libro tertio Regum.

Lectio i. Cap. 8. c

STetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu Ecclesiæ Israel, & expandit manus suas in cœlum, & ait: Ergone putandum est quod vere Deus habitet super terram? si enim cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc, quam ædificavi? Sed respice ad orationem servi tui, & ad preces ejus, Domine Deus meus: audi hymnum

& orationem, quam servus tuus orat coram te hodie: ut sint oculi tui aperti super domum hanc nocte ac die: super domum, de qua dixisti: Erit nomen meum ibi: ut exaudias deprecationem servi tui, & populi tui Israel, quodcumque oraverint in loco isto; & exaudies in loco habitaculi tui in cœlo, & cum exaudieris, propitius eris.

℟. Vidi speciosam sicut columbam, ascendentem desuper rivos aquarum; cujus inæstimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus: * Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, & lilia convallium.

℣. Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris? Et sicut.

Lectio ii.

SI fugerit populus tuus Israel inimicos suos (quia peccaturus est tibi) & agentes pœnitentiam, & confitentes nomini tuo venerint, & oraverint, & deprecati te fuerint in domo hac; exaudi in cœlo, & dimitte peccatum populi tui Israel, & reduces eos in terram, quam dedisti patribus eorum. Si clausum fuerit cœlum, & non pluerit propter peccata eorum, & orantes in loco isto, pœnitentiam egerint nomini tuo, & à peccatis suis conversi fuerint, propter afflictionem suam; exaudi eos in cœlo, & dimitte peccata servorum tuorum, & populi tui Israel: & ostende eis viam bonam, per quam ambulent, & da pluviam super terram tuam, quam dedisti populo tuo in possessionem.

℟. Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, * Terribilis ut castrorum acies ordinata?

℣. Filia Sion tota formosa, & suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol. Terribilis.

Lectio iii.

SI quis cognoverit plagam cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuæ, & repropitiaberis, & facies, ut des unicuique secundùm omnes vias suas, sicut videris cor cor ejus (quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum) ut timeant te cunctis diebus, quibus vivunt super faciem terræ, quam dedisti patribus nostris. Insuper & alienigena, qui non est de populo tuo Israel, cum venerit de terra longinqua propter nomen tuum, (audietur enim nomen tuum magnum, & manus tua fortis, & brachium tuum extentum ubique) cum venerit ergo, & oraverit in hoc loco; tu exaudies in cœlo, in firmamento habitaculi tui, & facies omnia, pro quibus invocaverit te alienigena: ut discant universi populi terrarum nomen tuum timere, sicut populus tuus Israel, & probent, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc.

℟. Quæ est ista, quæ processit sicut sol, & formosa tanquam Jerusalem? * Viderunt eam filiæ Sion, & beatam dixerunt, & Reginæ laudaverunt eam.

℣. Et

℣. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum & lilia convallium. Viderunt.

Gloria Patri. Viderunt.

In secundo Nocturno.

Aña. Diffusa est gratia in labiis tuis, propterea benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi.

Aña. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Aña. Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.

℣. Domine dilexi decorem domus tuæ.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Pater noster.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 52. de diversis.

Lectio iv.

SApientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens ædificavit sibi domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide & operibus præparare? nimirum ternarius numerus ad fidem propter Sanctam Trinitatem, quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in beata Maria Sancta Trinitas fuerit, fuerit dico per præsentiam majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuntius cœlestis, qui ei arcana mysteria reserans, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum; & post pauca: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Patrem, Filium & Spiritum Sanctum.

℟. O quam metuendus est locus iste! * Vere non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.

℣. Hæc est domus Domini firmiter ædificata, bene fundata est supra firmam petram. Vere non.

Lectio v.

UTrum autem, & quatuor principales virtutes, tanquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an fortitudinem habuerit, quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomonem legitur: Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium ejus. Porro, quod temperans, & justa fuerit, ex Angeli collocutione, & sui ipsius responsione, luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum; non se extulit, quasi quæ ex singulari gratiæ privilegio benediceretur; sed siluit, & qualis esset insolita hæc salutatio, secum cogitavit. Qua in re, quid, nisi temperans fuit? At vero, cum de cœlestibus mysteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæsivit, quomodo con-

conciperet, & pareret, quæ virum utique non cognosceret; & in hoc sine dubio prudens extitit.

℟. Fundata est domus Domini supra verticem montium, & exaltata est super omnes colles. * Et venient ad eam omnes gentes, & dicent: Gloria tibi Domine.

℣. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos. Et venient.

Lectio vi.

JUstitiæ autem præsefert insigne, ubi se ancillam Domini confitetur; nam quod justorum sit confessio, testatur qui ait: Verum tamen justi confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur Beata Virgo Maria fortis in proposito, temperans in silentio, prudens in interrogatione, justa in confessione. His itaque quatuor morum columnis, & tribus fidei prædictis extruxit in ea sibi domum Sapientia cœlestis, quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fœcundaretur & caro. Ipsius autem Virginis natalis domus divinis mysteriis consecrata, Angelorum ministerio ab infidelium potestate in Dalmatiam prius, deinde in Agrum Lauretanum Picenæ Provinciæ translata fuit, sedente Sancto Cœlestino quinto; eamdemque ipsam esse, in qua verbum caro factum est, & habitavit in nobis, tum Pontificiis diplomatibus, & celeberrima totius Orbis veneratione, tum continua miraculorum virtute & cœlestium beneficiorum gratia comprobatur. Quibus permotus Innocentius duodecimus, quo ferventius erga Matris amantissimæ cultum Fidelium memoria excitaretur, ejusdem sanctæ domus Translationem anniversaria solemnitate in tota Piceni Provincia veneratam, Missa etiam, & Officio proprio celebrari præcepit.

℟. Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus; in ea omnis, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit: * Et pulsanti aperietur.

℣. Petite, & accipietis; quærite, & invenietis. Et pulsanti.

Ant. Tollite hostias, & introite in atria ejus, adorate Dominum in aula Sancta ejus.

Ant. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia fecit Dominus, Alleluja.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Pater noster.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Lucam.

Lectio vii. Cap. 1.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel à Deo in Civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homil. 3. super Missus est.

QUæ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutetur ab Angelo : tam humilis, ut desponsata sit fabro? Pulchra permixtio virginitatis , & humilitatis , nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatam ! sed quanta , putas , veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas , & partus consecrat virginitatem ? Audis virginem , audi humilem ? laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas ; illa consulitur , ista præcipitur.

℟. Diffusa est gratia in labiis tuis : *Propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Myrrha , & gutta , & casia à vestimentis tuis , à domibus eburneis , ex quibus te delectaverunt filiæ Regum in honore tuo. Propterea.

Ex Homil. 2. super eodem loco.

Lectio viii.

MIssus est , inquit , Angelus ad Virginem; virginem mente , virginem professione , virginem denique, qualem describit Apostolus , mente & corpore sanctam , nec noviter , nec fortuito inventam , sed à sæculo electam, ab Altissimo præcognitam , & sibi præparatam , ab Angelis servatam , à Patribus præfiguratam, à Prophetis promissam, ut pauca loquar de pluribus , quam sibi aliam prædixisse Deus videtur, quando ad serpentem ait : Inimicitias ponam inter te, & mulierem? Et si adhuc dubitas, an de Maria dixerit , audi , quod sequitur : Ipsa conteret caput tuum : cui hæc servata victoria est , nisi Mariæ ?

℟. Beata es Virgo Maria , Dei Genitrix, quæ credidisti Domino , perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi ; ecce exaltata es , super choros Angelorum : * Intercede pro nobis , ad Dominum Deum nostrum.

℣. Ave Maria , gratia plena, Dominus tecum. Intercede. Gloria Patri. Intercede.

Ex Homil. 3. super eodem loco.

Lectio ix.

ET ingressus Angelus ad eam , dixit : Ave gratia plena , Dominus tecum. Quo ingressus ad eam ? Puto in Sacrarium pudici cubiculi , ubi illa fortassis clauso super se ostio orabat Patrem in abscondito. Solent Angeli adstare orantibus , & delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocaustum Sanctæ devotionis gaudent se offerre Deo , in odorem suavitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerint in conspectu Altissimi , Angelus indicavit , qui ingressus ad eam tam reverenter salutavit.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES, & per horas Aña.

Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.

Psalm. Dominus regnavit. cum reliquis de Dominica. Aña.

Aña. Domus mea, domus orationis vocabitur; in ea omnis, qui petit, accipit; & qui quærit, invenit; & pulsanti aperietur.

Aña. Propter domum Domini Dei nostri quæsivi bona tibi.

Aña. Domine Deus exaltasti super terram habitationem meam.

Aña. Domum majestatis meæ, & locum pedum meorum glorificabo.

Capitulum. In omnibus requiem. ut supra.

Hymnus. Alto ex Olympi. prout in Festo Dedicationis Ecclesiæ.

℣. Introibimus in tabernaculum ejus.

℟. Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.

Oratio. Deus, qui Beatæ Mariæ Virginis, ut supra.

Ad Primam in ℟. brevi dicitur:

Qui natus es de Maria Virgine.

Ad Tertiam, Antiphona.

Domus mea.

Capitulum. In omnibus requiem quæsivi. ut suprà.

℟. breve. Hic domus Dei est, * Et porta cœli. Hic domus.

℣. Et vocabitur aula Dei. Et porta.

Gloria Patri. Hic domus.

℣. Domine dilexi decorem domus tuæ.

℟. Et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ad Sextam, Antiphona.

Aña. Propter domum Domini.

Capitulum. Eccli. 24. b

ET sic in Sion firmata sum, & in civitate sanctificata similiter requievi, & in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, & in parte Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. breve. Domine * Dilexi decore domus tuæ. Domine.

℣. Et locum habitationis gloriæ tuæ. Dilexi.

Gloria Patri. Domine.

℣. Domum tuam Domine decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

Ad Nonam, Antiphona.

Domum majestatis meæ.

Capitulum. Eccli. 24. b

IN plateis sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris.

℟. breve. Domum tuam Domine, * Decet sanctitudo. Domum.

℣. In longitudinem dierum. Decet sanctitudo.

Gloria Patri. Domum.

℣. Hic domus Dei est, & porta cœli.

℟. Et vocabitur aula Dei.

In ii. Vesperis, omnia ut in primis, præter Antiphonam sequentem.

Ad Magnificat, Antiphona.

O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli.

Oratio ut supra.

FE-

FESTA JANUARII.

DIE XIX. JANUARII.

In feſto ſancti Henrici Epiſcopi & Martyris. Dupl.

Omnia de Communi unius Martyris, præter ea, quæ ſequuntur.

Ad Magnificat, Antiphona. Glorioſum Pontificem Henricum, poſt multiplicem virtutem, qua floruit, per mortem, quam ſuſtinuit, victorem vexit hodie Chriſtus in templum gloriæ.

Oratio.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui beato Henrico Martyri tuo atque Pontifici, glorioſo martyrii triumpho largitus es palmam, ejus quæſumus, meritis & precibus gratiam nobis largiaris & gloriam. Per Dominum.

In primo Nocturno Lectiones. A Mileto.

In ſecundo Nocturno.
Ex Scriptoribus rerum Suecicarum.

Lectio iv.

REgnante in Suecia ſancto Rege Erico, Henricus ex Anglia oriundus, vitæ ſanctitate, & morum honeſtate clarus, atque propterea à Rege ſpecialis familiaritatis gratia honoratus, Upſalenſem regebat Eccleſiam. Quibus quaſi duobus luminaribus, populus terræ illius ad veri Dei notitiam magis ac magis illuſtrabatur. Ædificabatur tum creſcens in timore Dei Eccleſia, juſtitiaque & pax inter ſubditos propagabatur, cum Rex ſedens in ſolio, intuitu ſuo omne malum diſſiparet, & bonus paſtor ſuper cuſtodiam gregis ſui ſedulo vigilaret.

℟. Omnes gentes jubilate, Deo cœli exultate, gaudeat Finlandia, læti Deum collaudate, * Et Henrici celebrate læta natalitia.

℣. Hic effulſit honeſtate morum, verbi veritate, vitæ ſanctimonia. Et Henrici.

Lectio v.

CUm vero plebs Finlandiæ, tunc à vero Deo aliena, incolis Sueciæ gravia damna frequenter inferret, ſanctus Ericus Rex, aſſumpto ſecum beato Henrico Upſalenſi Epiſcopo, collectoque exercitu, contra Chriſti & populi ſui inimicos expeditionem fecit. Quibus fidei Chriſti & ſuo ſubjugatis dominio, baptizatis plurimis, & fundatis ibi Eccleſiis, in Sueciam cum glorioſa victoria rediit. Beatus vero Henricus, ad irrigandas imbre cœleſtis doctrinæ novellas plantulas, & corroborandum Dei cultum, in partibus illis remanſit, non metuens ſe quibuslibet adverſis exponere, ut poſſit Dei gloriam dilatare.

℟. Sanctus cujusdam impii redarguit ſævitiam, ut reus homicidii ſubiret pœnitentiam, * Et pœnitens flagitii conſequeretur veniam.

℣. Qui ſalubris remedii ſprevit infelix gratiam. Et pœnitens.

Lectio vi.

EO igitur ædificationi & confirmationi Finlandenſium Eccleſiæ prudenter & fideliter inſiſtente, accidit, ut quidam homicidii

reus ad eum deferretur. Quem ob ipsius facinoris immanitatem, cum Ecclesiastica disciplina corrigere vellet, vir ille sanguinum, salutis remedium contemnens, in ministrum justitiæ & suæ salutis zelatorem manus injecit, ipsumque crudeliter trucidavit. Sic Sacerdos Domini, acceptabilis hostia divinis oblata conspectibus, occumbens pro justitia, templum supernæ Jerusalem feliciter intravit. Cujus sanctitatem Deus, tum celeri vindicta, quæ impium parricidam consecuta est; tum beneficiis multis ad memoriam ejus exhibitis, illustravit.

℟. Impœnitens malitiæ vir sanguinum, Ecclesiæ despecta disciplina, * In ministrum justitiæ ferox furit, & rabie hunc occidit ferina.

℣. Sic cum palma victoriæ Præsul intravit hodie palatia divina. In ministrum. Gloria Patri. In ministrum.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 16.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Hom. 56. in Matthæum.

Si quis vult, sive vir, sive mulier, sive princeps, sive subditus; hanc viam ingrediatur. Et sermo quidem unum quid significare videtur, tria vero continet: abnegationem tui ipsius, & ut crucem accipias, & tertio, ut Christum sequaris. Quorum duo conjuncta sunt: unum per seipsum separatim ponitur. Si enim intelligis, quid sit alium abnegare, tunc recte percipies, quid sit abnegare teipsum. Qui alium jam abnegavit, fratrem puta, aut servum aut quemvis alium; si cædi eum virgis videat, si arceri in vinculis, quidquid aliud pati eum conspexerit; non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus illo modo movetur, ceu ille, qui penitus ab illo alienatus est.

℟. Imitator Salvatoris, vigilanter populis veram fidem Creatoris prædicans incredulis. * Ut præclari sol fulgoris lucem dedit sæculis.

℣. Glorioso jam laboris fructu gaudet, & honoris insignitur titulis. Ut præclari.

Lectio viii.

Sic igitur nullo pacto nos corpori parcere nostro vult, ut neque si cæditur, neque si pellitur, neque si uritur, nec si quid aliud hujusmodi patitur, ei parcamus. Quid dixi: Non parcamus; cum id profecto sit vere parcere? Nam etiam tunc patres filiis maxime parcunt, cum magistris atque doctoribus tradentes, maxime rogant, ne parcant. Sic igitur Christus non dixit tantum: Non parcas; sed significantius ac expressius: Denega teipsum, pericula subi, certaminibus te offer; & quasi alius hoc patiatur, sic efficiare. Nec dixit, neget; sed

ſed abneget ; ut hac adjunctiuncula plurimum addat : cum abnegare multo plus quam negare profecto ſit.

℟. O vita commendabilis , o mors deſiderabilis, propter quam venerabilis hic Pontifex fit ſimilis , * In gloria Sanctorum.

℣. Commenda nos amabilis Pater, & honorabilis martyr Regi cœlorum. In gloria.

Gloria Patri. In gloria.

Lectio ix.

ET tollat crucem ſuam. Nam ne quis putet , ad verba usque tantummodo , ac contumelias , & opprobria abnegationem hanc ſui fieri oportere , id ſubjunxit, ut videas abnegandos nos eſſe usque ad mortem turpiſſimam : quam deſignans, non dixit , abneget ſeipſum usque ad mortem; ſed tollat crucem ſuam , non ſemel nec bis , ſed continuo per totam vitam , hanc tecum mortem circumferas , & continuo ad necem paratiſſimus ſis. Et ſequatur me. Ne credas ipſius paſſionis naturam per ſe ſufficere, cauſam ejus ſubjecit. Quam ? Ut quæ dicta ſunt univerſa faciens atque patiens , ipſum ſequaris : ut ſcilicet propter ipſum omnia ſuſtineas , utque omnem virtutis numerum habeas. Is enim Chriſtum ſequitur , qui non in periculis modo fortitudinem adhibet, ſed modeſtiam, ſed humilitatem , & omne ſublimioris Philoſophiæ genus complectitur.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus , Antiphona.

Chriſti pugil eximius , & Pontifex egregius , in hac die cœleſtia triumphator ad gaudia introivit feliciter , Deo fruens perenniter.

In ſecundis Veſperis , Ad Magnificat , Antiphona.

Chriſte virtus pugnantium , corona triumphantium, nos præſens poſt exilium Henrici per ſuffragium perduc ad perpes gaudium, quo tecum ſemper omnium gaudet cœtus fidelium.

DIE XXIII. JANUARII.

In feſto Translationis S. Erici Regis & Martyris. Duplex.

Omnia de Communi unius Martyris , præter ea , quæ ſequuntur.

Ad Magnificat , Antiphona.

Ave Martyr pretioſe , miles Chriſti glorioſe, ave Regum gloria , o Erice Rex Suecorum ! poſce nobis peccatorum veniam , & gaudia.

Oratio.

PRæſta quæſumus omnipotens Deus ; ut qui beati Erici martyris tui Translationem colimus , interceſſione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

In primo Nocturno , Lectiones de ſcriptura occurr.

In ſecundo Nocturno. De Sermone S. Ambroſii Epiſcopi.

In Natali SS. Nazarii & Celſi.

Lectio iv.

IMmenſa Dei noſtri pietas, multiplex ad bonitatem , & artifex ad ſalutem , proponens arduam virtutum palmam , raro appetitore pretioſam , in paucorum triumphis plurimorum commodis proſpicit. Illorum ſiquidem merita , noſtra

vult

vult esse suffragia: simulque dum nobis fidem veram duro martyrii agone commendat, afflictionem præcedentium, instructionem efficit posteriorum. Quanta est erga nos Dei nostri solicitudo! Illos examinat, ut nos erudiat; illos conterit, ut nos acquirat; eorumque cruciatus nostros vult esse profectus.

Lectio v.

Merito ergo eos colimus, qui periculis suis pugnant, & nostris utilitatibus militant; qui per lucis vitæque contemptum edocent nos, quantum Deo nostro debeamus affectum. Noverimus itaque, quia non sine magno discrimine de religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem, quasi novellam discutere præsumas, & post morientium sudores otiosa disputatione contendas.

Lectio vi.

Veneremur ergo in sanctorum Martyrum gloria fidem nostram. Quomodo fidem nostram? Ab istis enim dum mortis tolerantia indubitanter excipitur, spes immortalitatis evidenter asseritur. Nequaquam enim hanc vitam tam constanter expenderent, nisi esse alteram incomparabiliter beatiorem perfecta definitione sentirent. In sanctis itaque præconibus veritatis, resurrectionis auctoritas est. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per angustias tribulationum aperitur exitus ad amplitudinem gaudiorum.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium. Si quis vult post me venire. de Communi unius Martyris.

Ad Benedictus, Antiphona. Corona fulgens aurea flos dignitatis Regiæ, sanctæ Ericus ignea vicit tela nequitiæ, sic victor vernans laurea, Rex & Patronus Sueciæ, felix de domo lutea transiit ad Regnum gloriæ.

In secundis Vesperis, Ad Magnificat, Antiphona. Miles Regis gloriæ, tutor innocentium, malleus perfidiæ, Rex Erice bravium apprehendens, in agone ense cæsum hostium, nobis placa Martyr bone Jesum Dei Filium.

FESTA FEBRUARII.

DIE I. FEBRUARII.

In festo sanctæ Brigidæ Virginis, P. R. P. Duplex.

Omnia de Communi præter sequentia. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui es sanctarum gloria virginum, clementiam tuam supplices exoramus, ut per merita beatæ virginis tuæ Brigidæ, opportunum tuæ pietatis auxilium sentiamus. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Sancta Brigida in magna veneratione habetur in Scotia. Hæc ab ipso pueritiæ ævo omni tempore in devotione, sanctitate & castitate Deo servire studuit, tan-

tantam quoque gratiam à Deo consecuta; ut per eam multa signa & miracula fierent. Cumque de manu cujusdam Episcopi velamen more monialium susciperet super caput suum, ipsa inclinans se ad pedes altaris, lignum, quod erat altari adaptatum ab antiquo, manu sua tetigit, & statim viride factum & in perpetuum viride mansit, & imputribile; tantæque pietatis fuit sancta Brigida, ut quidquid habere poterat, pauperibus tribueret. Quadam autem vice puer quidam leprosus ad eam venit, petens aliquod beneficium ab ipsa; quæ dixit: Vis ut adoremus Deum, & cureris à lepra? Respondit ille: hoc mihi acceptius est omni munere. Tunc Virgo sancta benedixit aquam, eadem aqua caput leprosi aspersit, & statim mundatus est, & gratias egit Deo, & transiit ad sanctam Brigidam serviens ei quamdiu vixit.

Lectio v.

Quodam tempore vidit quemdam miserum duci ad damnationem: & condoluit ei tantum, ut pro liberatione ipsius oraret Deum. Factaque oratione auri massam in sinu suo reperit, deditque judici, ut reum dimitteret, & sic ille à morte liberatus est. Iterum quodam tempore Brigida sancta, & quædam altera puella sancta convenientes, totam noctem colloquiis deduxerunt, & tenebras noctis omnino non senserunt. Puella illa rogabat sanctam Brigidam, ut benedictionem faceret super oculis ejus, ut videre posset: erat enim cæca & nunquam viderat. Tunc sancta Brigida benedixit oculis ejus, & aperti sunt. Puella vero circumspiciens modicum dixit sanctæ Brigidæ: Rogo te, iterum occlude oculos meos, ne amplius videam mundum; quanto enim homo minus videt mundum, tanto clarius videre potest Deum. Tunc sancta Brigida fecit, ut iterum occluderentur oculi ejus, sicut ipsa petebat.

Lectio vi.

Cum die quadam messores ejus segetem in agro colligerent, & pluvia maxima erumperet, à messoribus suis imbrem sedavit, circumstantibusque agris pluvia madefactis, sola hujus area sicca permansit. Die quadam dum oves pasceret, imbre cadente pannos perfusa domum rediit, & vestes madefactas super solis radium, qui per rimas intrabat siccandos extendit, quæ quasi in solida pertica diutius permanserunt. Aquam in cerevisiam, & lapidem in salem convertit: & à nativitate cæcum illuminavit. Cum novem viri in mortem unius conspirassent, & eos Virgo Christi ab intento pessimo revocare non posset, oravit ad Dominum, ut nequaquam ipsorum voto resisteret. Egressis autem illis apparuit imago quædam quasi illius hominis occidendi, quam illi gladiis percutientes, hominemque peremisse putantes læti reversi sunt. Sed dum, quod illis

illis contigerat, cognoverunt, compuncti ad pedes Virginis prociderunt, & pœnitentiam egerunt. Sicque sancta Virgo multis clarens virtutibus quievit in pace Kalendis Februarii.

In tertio Nocturno Homil. In Evangelium. Simile erit regnum cœlorum decem Virginibus. ut in Communi Virginum.

DIE IV. FEBRUARII.

In festo sancti Ansgarii Episcopi & Confessoris. Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Ecce sacerdos magnus. cum reliquis de Communi Confessoris Pontificis.

Hymnus.

ANsgari Pater optime,
Errantes nos in devio
Reduc tuo juvamine,
Servans in Christi gremio.
Danis & Suecis gratiæ
Donum fidemque prædicans;
Pugil fortis in acie
Gentes Deo sanctificans.
Notam facis incredulis
Doctrinam Evangelicam,
Lucem ministrans populis
Ducis in viam cœlicam.
Bonus pastor viriliter
Gregem pascis Dominicum,
Informans, ut veraciter
Christum colat magnificum.
Prudens talenta gratiæ
Cum lucri magnitudine
Adducis Regi gloriæ
In pacis pulchritudine.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu paraclyto,
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.
℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat, Antiphona. Ludovicus Imperator dirigis Ansgarium, ut sit Suecis Legislator: docens Evangelium, cœli spargit ex thesauro veritatis gratiam, ex doctrinæ profert auro fidei constantiam.

Oratio.

EXaudi, quæsumus Domine, preces nostras, quas in beati Ansgarii Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus, & qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

REligiosa beati Ansgarii Galli, primi Suecorum & Gothorum Apostoli sanctitas, ab ineunte cœpit statim crescere ætate. Nam vix pueriles annos egressus, superna visitatione per quietem monitus, ut mundi illecebras contemneret, mox in monasterio Corbejensi, sancti Benedicti Regulam professus, totum se in Dei amorem transfudit, assidue orationi, vigiliis, & abstinentiæ deditus. Cum autem ad Ludovicum Caroli Magni filium Imperatorem, primo ejus Imperii anno, Legati à Rege Suecorum Biorne secundo venissent, qui Christianæ fidei Doctores in Sueciam mitti petebant, beatus Ansgarius, instante Imperatore, onus prædicandi Evangelium per Aquilonaria Regna libenti animo suscepit, statimque

Regis

Regis Legatos comitatus, ad Regem Biornem in Birca civitate tunc maxima agentem, cum Vithmaro & aliis sociis venit.

Lectio v.

AD cujus prædicationem multi Suecorum crediderunt in Christum, & baptizati sunt. Inter hos Præfectus Regis inclytus Heringarius; qui veluti alter Sebastianus, tantum in suscepta fide floruit, ut in æde sua, quam in Ecclesiam consecrari fecerat, Christo assidue serviens, eumque prædicans, miraculorum etiam gloria illustraretur. Suecis ad fidem conversis & baptizatis, multisque apud illos Ecclesiis constructis, Ansgarius ad Danos deinde se contulit, cum regnaret in Dania Ericus cognomento impius: ubi etiam Evangelium prædicans, de impio tyranno pium Christi ministrum effecit. Porro cum messem esse multam, nec se huic tanto labori solum sufficere posse, destinavit suo loco in Sueciam sanctissimum virum Simonem Episcopum, & Nitardum venerabilem Presbyterum: qui Christianam doctrinam induratis hominibus prædicantes, gravissimas persecutiones sustinuerunt, & ad extremum glorioso martyrio vitam suam feliciter consummaverunt. Ipse vero Hamburgensem Episcopatum, postea Bremensem Archiepiscopatum administravit, probante id Gregorio Papa Quarto Apostolica auctoritate, & Pallii concessione; confirmante vero Nicolao Romano Pontifice, qui ipsum ac successores Legatos & Vicarios Apostolicæ Sedis constituit.

Lectio vi.

HUjus Pontificis tanta erat sanctitas, ut eam Reges honorarent, Pastores Ecclesiarum magna veneratione colerent, Clerus admiraretur, populus imitaretur universus. Miraculorum quoque gratia singularis ad gloriam Domini nostri Jesu Christi, & confirmationem fidei inter Gentes eidem à Deo collata fuit. Nam orationibus suis, & olei sacri inunctione, plurimos à diversis morbis & languoribus sanabat. Unde certatim ad eum confluebant infirmi medicinam petentes, & sanitatem integram recipientes Tandem ætate & laboribus fatigatus, anno ætatis suæ sexagesimo quarto gravi corporis infirmitate per quatuor & amplius menses plus solito laborare cœpit. Qua licet sic atritus & consumptus esset, ut pœne jam de corpore nihil præter nervos & ossa remaneret, nihilominus tamen in Dei laudibus perseverans, invictum ab oratione animum non relaxabat, sicque oculis in cœlum intentus, cum sedisset annos triginta quatuor, spiritum in manus æterni Patris tradidit, anno Redemptoris octingentesimo sexagesimo quinto. Cujus res præclare gestas Wembertus ejus Diaconus scripsit, & ipse sanctitate conspicuus ejus in sede successor.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Gregorii Papæ.

Homilia 6.

TAlenti nomine cuilibet pauperi etiam hoc ipsum deputabitur, quod vel minimum accepit. Alius namque accepit intelligentiam; prædicationis ministerium debet ex talento: alius terrenam substantiam accepit; erogationem talenti habet ex rebus: alius nec intelligentiam internorum, nec rerum affluentiam accepit, sed tamen didicit artem qua pascitur, ipsa ars ei in talenti acceptionem reputabitur: alius nihil horum assecutus est, sed tamen fortassè locum familiaritatis apud divitem meruit; talentum profectò familiaritatis accepit: si ergo nil pro indigentibus loquitur, pro talenti retentione damnatur.

℟. Posuit os tuum Dominus, quasi gladium acutum, in umbra manus suæ protexit te, * Et posuit te quasi sagittam electam.

℣. Ansgari, servus meus es tu, quia in te gloriabor. Et posuit te. Lectio viii.

HAbens igitur intellectũ, curet omnino, ne taceat. Habens rerum affluentiam, vigilet, ne à misericordiæ largitate torpescat. Habens artem qua tegitur, magnopere studeat, ut usum atque utilitatem illius cum proximo partiatur. Habens alloquendi locum apud divitem, damnationem pro retento talento timeat, si cum valet, non apud eum pro pauperibus intercedat. Tantum quippe ab unoquoque nostrum venturus judex exiget, quantum dedit. Ut ergo de talenti sui rationibus, redeunte Dño, quisque securus sit, cum timore penset quotidie, quod accepit. Ecce namque jam juxta est, ut ille, qui peregre profectus est, redeat. Quasi peregre quoque abiit, qui de hac terra, in qua natus est, longe discessit. Sed profectò revertitur, ut de talentis rationes ponat: quia si à bona actione torpescimus, de ipsis bonis, quæ contulit, nos districtius judicat.

℟. Ansgari, dedi te in lucem Gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ: * Reges videbunt, & consurgent Principes, & adorabunt Dominum.

℣. Ego elegi te, ut eas, & fructum afferas, & fructus tuus maneat. Reges videbunt.

Gloria Patri. Reges videbũt.

Lectio ix.

COnsideremus igitur, quæ accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. Nulla nos à spirituali opere cura impediat: ne, si in terra talentum abscondimus, talenti Dominus ad iracundiam provocetur. Piger etenim servus, cum judex culpas examinat, talentũ de terra levat. Quia sunt plerique, qui tunc se à terrenis desi-

desideriis vel operibus subtrahunt, quando jam per animadversionem judicis, ad æternum supplicium trahuntur. Ante ergo de talenti nostri ponenda ratione vigilemus, ut cum jam judex ad feriendum imminet, lucrum nos quod fecimus, excuset.

Te Deum laudamus.

Ad Benedictus, Antiphona.

Languidorum multitudo tuis sanctis precibus surgit sana, fortitudo datur debilibus, infirmantes apportantur ex diversis partibus, omnes Christum confitentur restitutis viribus.

In secundis Vesperis, ad Magnificat, Antiphona.

In extremo terræ sita Suediorum regio, in errorum sorde trita traditur Ansgario; per doctrinam ut polita fiat habitatio Christi, qui est lux & vitæ summa perfectio.

DIE VI. FEBRUARII.

In festo S. Dorotheæ Virginis & Martyris. Duplex.

Oratio. Indulgentiam. ut in Communi.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Dorothea Virgo. ut in Brev.

Lectio v. & vi. de Communi in primo ordine.

Quoniam hodie.

In tertio Nocturno. Homilia in Evangelium. Simile est regnum cœlorum thesauro. ℟℟. de Virg.

DIE IX. FEBRUARII.

In festo sanctæ Apolloniæ Virginis & Mart. P. R. Duplex.

Oratio. Deus, qui inter.

In primo Nocturno, Lectiones de Script. occurr.

Sed in Quadragesima: Confitebor tibi Domine Rex. de Communi.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Apollonia virgo Alexandrina sub Decio Imperatore cum ingravescente jam ætate ad idola sisteretur, ut eis venerationem adhiberet, illis contemptis Jesum Christum verum Deum colendum esse prædicabat. Quamobrem omnes ei contusi sunt & evulsi dentes, ac nisi Christum detestata, deos coleret, accenso rogo combusturos vivam minati sunt impii carnifices. Quibus illa se quamvis mortem, pro Jesu Christi fide subituram respondit.

Lectio v.

Itaque comprehensa ut combureretur, cum paulisper quasi deliberans, quid agendum esset, stetisset, ex illorum manibus elapsa, alacris in ignem sibi paratum, majori Spiritus Sancti flamma, intus accensa, se injecit. Unde brevi consumpto corpore purissimus spiritus in cœlum ad sempiternam martyrii coronam evolavit.

Ex Sermone S. Augustini Episcopi.

De Virg. cap. 2.

Lectio vi.

Cum universa Ecclesia virgo sit desponsata uni viro Christo, sicut dicit Apostolus; quanto digna sunt honore membra ejus, quæ hoc custodiunt in fide, quæ imitatur Matrem viri Do-

Domini sui ? Nam Ecclesia quoque Virgo & Mater est : cujus enim integritati consulimus, si virgo non est ? aut cujus prolem alloquimur, si Mater non est ? Maria corporaliter caput hujus corporis peperit, Ecclesia spiritualiter membra illius capitis parit. In utraque virginitas fœcunditatem non impedit, in utraque fœcunditas virginitatem non adimit.

In tertio Nocturno Homilia in Evangelium. Simile est regnum cœlorum decem Virg. ut in Communi.

DIE XXIV. FEBRUARII.

In festo sancti Sigfridi Episcopi & Confessoris. Duplex.

Ad Vesperas, Antiphona. Ecce sacerdos magnus. cum reliquis de Communi Conf. Pontificis.

Hymnus.

Sigfridi almi Præsulis,
Odas solvamus carminis,
Qui Suecis verbo dogmatis
Dona fudit Baptismatis.
Ut jubar sui luminis
Gemma fundit in tenebris,
Sic cultu sancti Numinis
Præsul fulsit hic celebris.
Hic Anglicus natalibus
Procreatus nobilibus:
Testatur id prosapia
Anglorum Regum Regia.
Hic Anglicus Angelicus,
Qui missus nobis cœlitus,
Nos jungat suis precibus
Angelorum apicibus.
Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclyto,
Nunc, & per omne sæculum.
Amen.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Ad Magnificat, Antiphona. In hymnis & confessionibus magnificemus Dominum, qui fidei gratia sanctum Sigfridum evocavit ab Anglia, cujus doctrina aurea Sueonum resplenduit Ecclesia; per ipsius merita pia, semper ad Deum inveniamus auxilia.

Oratio.

Deus, qui beatum Sigfridum Confessorem tuum, Evangelicæ prædicationis gratia sublimasti: præsta quæsumus; ut & doctrina ejus erudiamur, & precibus adjuvemur. Per Dominum.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

Ex Annalibus Suecicis.

Lectio iv.

Mortuo beato Ansgario, cum Suecia ad cultum idolorum relapsa, in pristinis errorum tenebris per multos annos versaretur, Olaus Skothkonung dictus, Sueonum & Gothorum Rex Christianæ religionis studio incensus, per Legatos apud Anglorum Regem egit, ut viros aliquos pios, & Christiana lege eruditos ad se mittendos curaret. Qui congregato Episcoporum & Sacerdotum concilio, piam Sueonum Regis postulationem ipsis aperuit, hortatusque est, ut ex suo ordine aliquos deligerent, qui labores, pericula, ac mortem etiam pro Christi gloria sustinere vellent. Tunc beatus Sigfridus Episcopus Anglus, vir genere regio, doct-

doctrina, & auctoritate illustris, videns ex triduano colloquio, nullos vel certe paucos repertos fuisse, qui se vellent tanto periculo committere, ipse sponte se ad eam peregrinationem obtulit.

℟. Inveni David.

Lectio v.

ITaque venerabilis Pontifex Sigfridus, relicta patria, superatis longissimis & periculosissimis maris itineribus, cum tribus nepotibus suis, & beato Æschilo consanguineo suo, circa annum Domini millesimum pervenit in Gothiam, ubi nunc Vexionensis Ecclesia cernitur. Quo in loco, cum sub papilionibus sacrificium offerret, à Præfecto Regio in elevatione hostiæ puerum visus est elevasse. De cujus adventu & miraculis, quam primum Rex ab eodem Præfecto rescivit, obviam processit adventanti, atque viro Dei verbum salutis prædicanti, credidit ipse & omnis populus. Dum instituendis Ecclesiis occuparetur, audit cum magno animi dolore tres nepotes suos, quibus Ecclesiam Vexionensem commiserat, occisos, spoliatos, & abscissis capitibus in stagnum projectos esse. De quibus interfectoribus Rex dignum supplicium sumere voluit; sed benignissimus Pontifex, ne occiderentur, orabat, de sursum omnem consolationem expectans.

℟. Posui adjutorium.

Lectio vi.

NEc Deus Sancto suo in tanto dolore laboranti defuit. Cum enim quadam nocte circa stagnum Vexionensi Ecclesiæ contiguum orans inambularet, vidit à longe tria lumina per aquas ad se deferri: quorum indicio urnam, in qua capita charissimorum nepotum projecta erant, in aquis invenit: quæ adhuc roseo cruore perfusa aspiciens, dixit: Vindicet Deus. Cui mox ex capitibus unum respondit: Vindicabit. Alterum dixit: Quando? Tertium subjunxit: In filios filiorum. Quod illæ interfectorum familiæ in hanc usque diem re ipsa experiuntur. Non tamen propterea sanctus Christi Confessor animum à Christi fide propaganda, & ejus sancto Evangelio annuntiando remisit. Tandem post longos labores, & continua sanctissimæ vitæ studia, plenus dierum ad Deum, cui fideliter servierat, migravit. Sepultus in Ecclesia Vexionensi, quam ipse Angelica visione monitus erigendam curaverat; multisque miraculis clarus, in Sanctorum numerum relatus est.

℟. Iste est.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundùm Matthæum.

Lectio vii. Cap. 25.

IN illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

Ex Homil. 96. in Matth.

TAlenta hic pro eo, quod unusquisque facere potest,

est, accipimus, sive auctoritate protegere, sive pecuniis juvare, sive doctrina admonere, sive alia quapiam re proximis prodesse queas. Nemo secum dicat: Cum unum talentum habeam, nil possum efficere: potes profecto ex una re sola comprobari. Non es pauperior illa vidua, non es Petro atque Joanne rusticior: qui quamvis rudes simul atque illitterati fuerint, quoniam magno studio communem utilitatem complexi fuerant, cœlorum Principes facti sunt. Quippe nulla res Deo gratior est, quam ut universam vitam ad commune commodum conferas.

℟. O charitas veneranda, qua ferves Christi athleta. * Dum hostibus poscis veniam, regnique cœlestis gloriam.

℣. Fide plenus & merito, gregem commenda Domino. Dum hostibus.

Lectio viii.

Idcirco ratione atque oratione nos Deus decoravit, mentem & ingenium concessit, manus, pedes, vires corporis dedit, ut his omnibus, & nos ipsos & proximos tuemur: non enim ad agendas gratias solummodo confert oratio, verum etiam ad docendum & admonendum perutilis est. Qua in re si ea diligenter utemur, Dominum; si vero in contrariis, diabolum imitabimur. Nam & Petrus, quandoquidem Christum confitebatur, quasi ea dicens, quæ Patris sunt, beatificabatur; quod autem crucem horrebat atque repellebat, quasi ea, quæ diaboli sunt, sapiens, acriter increpabatur. Si ergo ignoratione crucem recusando reprehensus est, quam nos sponte peccantes veniam impetrabimus?

℟. Immenso Salvatoris amore fervebas, o Sigfride, dum patriam pro ejus affectu reliquisti atque mundi gloriam, ideo audire meruisti: * Posside regnum tibi paratum ab origine mundi.

℣. Quid mihi est in cœlo, & à te quid volui super terram? Veni benedicte Patris mei. Posside.

Gloria Patri. Posside.

Lectio ix.

Ea ergo loquamur, quæ Christi verba esse confestim cognoscuntur. Nec enim cum dixero, Surge & ambula: neque cum dixero, Tabitha surge; tunc solum Christi verba loquor: verum etiam multo magis, si contumeliis agitatus benedixero: si oppressus injuria pro opprimentibus orabo. Sic ille contumeliantibus respondebat, dicens: Ego dæmonium non habeo. Et rursus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo. Si hoc pacto tu quoque respondes, si ad emendationem proximi loqueris, linguæ illi lingua tua simillima est. Hæc non ego, sed Deus confirmat: Qui separaverit pretiosum à vili, is quasi os meum erit. Cum igitur lingua tua sit Christi, & os tuum Patris fiat, & sancti Spiritus templum sis: quis honor, quod decus majus hoc excogitari poterit? Non si ex auro os

tibi

tibi conficeretur, non si gemmis construeretur, ita præfulgeret, ut tunc hoc humilitatis ornatu resplenderet.

T e Deum laudamus.

AD LAUDES,

& per Horas, Aña.

Ecce sacerdos. cum reliquis ut in Communi.

Hymnus.

I Gnitus sancto Flamine,
Et Dei tactus fulmine
Sigfridus, gentem patriam
Postponens, adit Sueciam.
I llic Regem cum populo
Potatum fraudis poculo
Invenit, & condoluit,
Quod hæc gens deos coluit.
M ox unum Deum prædicat,
Regi sic fatur & indicat:
Salvus erit, qui crediderit,
Baptizatusque fuerit.
R igatus verbo fidei,
Olavus fit cultor Dei,
Cor præbens sancto dogmati,
Collum subdit baptismati.
S igfridus dictus signifer,
Et Dei verus armiger
Hostem stravit nequitiæ,
Gentem baptizans Sueciæ.
D eo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclyto,
In sempiterna sæcula,
Amen.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.
℟. Et ostendit illi regnū Dei.

Ad Benedictus, Antiphona.

Celebremus, charissimi, devote recolendo annua beati Sigfridi solemnia, cujus sacra hodie anima felix cœli scandit fastigia, cui Angelica occurrens curia, eum gaudens suscepit cum gloria.

In secundis Vesperis, Ad Magnificat, Antiphona.

In signis, & virtutibus hostem supplantat Sigfridus, dum tibi fide Gentium catervam sociat: nunc quia tecum regnat, Jesu Christe, nos ipsius per merita tua salvet gratia.

Finis Partis Hiemalis.

Absender: **Adolph Winter,** Stettin, Oberwiek 73.



Hochwürden Herrn

Jach. Bnikowski

Kronland: .... Ort: Bielany

Oesterreich. Post: Krakau

KRAKÓW 18 10. 95

BERLIN 16.10.95

Dies	feria	Augustus	Dies	feria	Augustus
13.	3.	S. Dominici. C. dx. c. alb. d. a. ex 4huj L. 111. Justus			Praef. B. M. V. Et Te in Assumptione p. to